

3.

serutionem & mortem in Actæone, qui à canibus proprijs dilaceratus fuit, figuravit. Quod verò tertia die à mortuis excitatus revixerit, fabulâ Lycophronis Tragici confirmat: Nam refert in navigatione ē vellere aureo redeunte Herculem naufragium passum & in mare projectum à pisce quodam devoratum, qui tertio post die eum vivum ad littus evomuit. Cerrite & fatue doctor, nonnè gravius & certius exemplar à CHRISTO ipso tibi demonstratur in Jonâ prophetâ Matb. XII, 40. Cui non absimile est illud alterius, qui declaratur<sup>9</sup> misericordie divina suavitatem ac dulcedinem in proscenium palati revocavit suis auditoribus carnem vervecinam albis rapis incoetam, & quidem illis, quæ in tractu Martispurgensi feli cius proveniunt: miror quod non attulerit cepas inferioris Lusatiae ad Lubenaviā, quæ propter uliginē felicioris soli alijs feruntur mitiores & dulciores. Atq; tales allegoria revera sunt, dicente iterū B. Luthero, tamquam formosa meritrix, que ita blanditur hominib⁹, ut non possit non amari, praesertim ab hominibus otiosis, qui sunt sine tentatione. Tales putant se in medio Paradisi & gremio DEI esse, si quando illis speculationibus indulgent. Ac primum quidem a stolidis & otiosis monachis ortes sunt & tandem iratae serpserunt, ut quidam Metamorphosis Ovidij in allegorias verterint. Mariam fecerunt laurum (Daphnen) Apollinem CHRISTVM: qua quantum vis sint absurdā, tamen, cum proponuntur, imperitis adolescentibus, sed amantibus & studiosis literarum, initio valde adlubescunt, ut totos se illis interpretationibus dedant. Quòd pertinent etiam verba Sixtini Amamæ Professoris Franekerani (AntiBarb. Biblical. "p. 272.) ita scribentis: "Sed & illi verbo mihi compellandi sunt, qui circa nominum priorum interpretationem & etymologiam nimis curiosi sunt, atq; hinc ad typos & allegorias dilabuntur, integras saepe horas hujusmodi dissertationibus transmittentes. Etyma nominum."